

[Lexicon musicum Latinum](#) 

Wien, Österreichische Nationalbibliothek,
[Cod. 5003, f. 188v-192r](#)

Transcription Christian Meyer
(octobre 2010)

188v

¹INCIPIUNT REGULE TONORUM MUSICE ARTIS

²Musicus octo tonos ignorans non reputatur

³Ergo scias modicum quod sic tonus inveniatur

⁴In cantu duplex est primus semper habendus prothus

⁵Cum teutro cum trito sit quoque tetrardus.

⁶Cantus grecorum tot tenuere tocies.

⁷Ut ergo ex premissis patet, octo sunt toni quibus appellantur claves musicæ artis, quorum quatuor sunt autentici et quatuor plagales. ⁸Autentici sunt primus, tertius, quintus et septimus. ⁹Plagales vero sunt secundus, quartus, sextus et octavus. ¹⁰Autentici autem dicuntur a greco *autento*, quod est *dignitas* latine quia digniores sunt plagalibus.

¹¹Plagales autem sunt collaterales, i. lateribus autentorum adherentes, quia habent cum autentici eundem finem. ¹²Nota quod hoc nomen tonus est equivocum, quia in stricta eius acceptione est intervallum unius cuiuslibet vocis ad aliam sine | semitonio. ¹³In larga acceptione tonus est regule que dantur in quolibet cantu regulari sicut quod aliqua antiphona dicatur primi toni, secundi vel tertii et sic de aliis.

189r

¹⁴Notandum igitur est quod quatuor toni autentici erant apud antiquos de quibus talis datur regula : omnis cantus autentorum a suo finali ascendit a<d> dyapason regulariter, licencialiter vero quando assummit vocem unam nonam. ¹⁵Si vero transcendit nonam, dicitur cantus irregularis et lasciviens. Sub suo vero finali descendit per unum tonum, excepto quinto tono, qui sub suo finali descendit per semitonium et tonum. ¹⁶Sed quia inveniuntur quidam cantus qui sub uno finali descendunt ad dyatesseron, necesse erat invenire tonos quibus illi cantus assignarentur. ¹⁷Propter quod isti quatuor autentici divisi sunt in octo. ¹⁸Hii quatuor inventi dicuntur plagales, ut dictum est. ¹⁹Regula autem plagalium hec est : omnis cantus eorum regulariter ascendit a suo finali a<d> dyapente, licencialiter vero assummit sibi sextum, et hoc semel vel bis, nunquam vero ter ; sub suo finali non plus descendit quam diatesseron.

²⁰Primus autenticus vocatur prothus, secundus teutrus, tertius tritus, quartus tetrardus. ²¹Et qui primus plagalium fuit apud antiquos, secundus est apud nos, et qui secundus apud illos, quartus apud nos, et sic deinceps.

²²Quivis vero cantus, cui tono sit attribuendus, quatuor dantur regule, quarum prima talis est. ²³Omnis qui super suum finalem atigerit

189v

dyatesseron, propter suam brevitatem attribuetur plagalibus, ut in hac antiphona : *In omnem terram*. Alia *Laudate dominum de celis*.

²⁴ Secunda regula talis est : cantus qui super suum finalem attigerit dyapente et sub suo finali | non habuerit dyatesseron quia dyapente commune est et autentis et plagalibus, ²⁵ ille cantus utrique attribuitur, ita tamen quod ei attribuat *evovae* quod frequentius est in usu, ut in hac antiphona : *Biduo vivens*.

²⁶ Tercia regula est : omnis cantus <qui> a suo finali attigerit dyapente et ultra tonum vel semitonium et sub suo finali non habuerit dyatesseron, attribuetur plagalibus. ²⁷ Contra hanc regulam est hec antiphona : *Iste cognovit iusticiam*.

²⁷ Quarta regula est : omnis cantus, qui a suo finali habuerit dyatesseron, attribuetur plagalibus. ²⁸ Si vero bis vel ter attigerit dyapente et sub uno finali tantum fuerit unam vocem, erit cantus autentorum. Contra hanc regulam est hec antiphona : *Fidelis [servus] sermo et Rogabat Ihesum*.

²⁹ Ita quia dictum est quod quilibet tonorum habet proprium tonum sibi deputatum, quia primus habet affinalem, quod est ·a·lamire, tercii vero nunquam propter suum *evovae*, quod non potest poni in acutis. ³¹ Quarti affinalis est in befabemi, quinti et sexti in ·c·solfaut ³²+nec+ tantum dicuntur isti cantus irregulares, quia sic varietas cogit fieri quando enim non possunt finiri in proprio finali habentes semitonium ante finem, finiuntur in affinalibus.

³³ Primus tonus habet sex inceptions et quinque differencias de quibus sunt date cottidie regule. ³⁴ Dicuntur autem differencie quia quamvis convenient in principio differunt tamen in fine ad habendas cantuum inceptions.

³⁵ Primus tonus habet regulariter quatuor inceptions : prima in ·C·faut, ut illa antiphona *Arguebat*, secunda in ·D·solre, ut *Ecce nomen domini*, tertia in ·F·faut, ut *Lazarus*, quarta in ·a·lamire, ut *Exi cito in platea*. ³⁶ Et omnes cantus hii intonantur in ·D·solre. ³⁷ Habent autem et <190r> alias inceptions, ut in ·E·lami et in ·G·solreut. Qui dicuntur transpositi quia non terminantur in proprio finali sed in ·a·lamire, que est affinalis primi toni.

³⁸ Principale vero *evovae* primi toni et principium differenciarum suarum incipit semper in ·a·lamire et psalmus in ·C·faut, ut *evovae Ecce nomen domini*. ³⁹ Prima differentia primi toni regit cantus incipientes in ·C·faut et ascendentes per tonum in ·D·solre et statim transeuntes per dyapente in ·a·lamire, ut *evovae Mulieres*, vel etiam incipientes in ·D·solre et statim transeuntes per dyapente in ·a·lamire, ut *Leva*. ⁴⁰ Secunda differentia regit cantus incipientes in ·C·faut et ascendentes per tonum in ·D·solre, deinde in ·F·faut, et iterum repercucientes in ·G·solreut, ut *evovae Ecce ego vobis<cum>*. ⁴¹ Tercia differentia regit cantus incipientes in ·F·faut et gradatim descendentes in ·D·solre, ut *evovae Volo pater*. ⁴² Quarta differentia regit cantus incipientes in ·F·faut et gradatim ascendentes in ·a·lamire, ut *evovae Exi cito in plateis*, vel regit cantus incipientes in ·F·faut et transeuntes in ·a·lamire et descendentes per tonum in ·G·solreut, et iterum

repercucientes in ·a·lamire <ut> *evovae Apertis thezauris* et illa *Dominus quidem Ihesus*.⁴³ Omnis itaque cantus non habens predicta inicia, principali *seculorum* deputatur, ut *Ave Maria*.⁴⁴ Iubilus est iste : *Primi toni melodiam psalles indirecto*.

190v ⁴⁵Secundus autem tonus habet unum principale *seculorum*, nullamque differentiam. ⁴⁶Cuius cantus habet incipere sub suo finali per dyatesseron et supra finalem per semiditonus et infra hec spacia in qualibet clave *seculorum* incipit in ·F·faut, ⁴⁷forma[tur] vero et psalmus | in ·C·faut. *Secundum autem est simile huic* etc.

⁴⁸Tercius tonus tantum habet unum *seculorum* principale et tres differentias. ⁴⁹Prima est : omnis cantus incipiens ab ·E·lami et descendens per tonum in ·D·solre et transiens per dyatesseron in ·G·solreut, huic principale *evovae* <deputatur>, ut *Qui de terra est*. ⁵⁰Secunda differentia est : omnis cantus incipiens a ·G·solreut et ascendens per tonum in ·a·lamire et transiens in ·c·solfaut, prime differentie deputatur, ut *Quod unus omnia*. ⁵¹Tercia differentia est : omnis cantus incipiens a ·G·solreut et ascendens per tonum in ·a·lamire et retransiens in ·G·solreut secunde differentie deputatur, ut *Quod unus*. ⁵²Quarta regula est : cantus incipiens a ·c·solfaut et descendens in ·a·lamire et repercuciens in ·c·solfaut, ut *Vivo ego*, vel incipiens in ·G·solreut et ascendens in ·a·lamire et gradatim in ·c·solfaut, tercie differentie deputatur, ut *Hic est discipulus*.

⁵³Quartus tonus habet unum principale *seculorum* et quinque differentias et totidem regulas. ⁵⁴Prima regula est : omnis cantus incipiens ab ·F·faut et descendens successive in ·D·solre, ut *Tota pulchra es*, vel incipiens ab ·E·lami et gradatim ascendens in ·G·solreut, ut est *Extende domine*, principali *evovae* deputatur. ⁵⁵Secunda regula est : omnis cantus incipiens a ·D·solre et gradatim ascendens in ·G·solreut, prime differentie deputatur, ut *Secus decursus*. ⁵⁶Tercia regula est : omnis cantus incipiens a ·G·solreut et ascendens in ·a·lamire deinde in ·c·solfaut, secunde differentie deputatur, ut *Benedicta tu in*. ⁵⁷Quarta regula est : omnis cantus incipiens in ·C·faut et gradatim ascendens in ·E·lami, tercie differentie deputatur, ut *Tulit ergo*.

191r ⁵⁷Et hee dicte differentie dicuntur regulares, quorum *evovae* | incipiunt in ·a·lamire. Forma[tur] vero <et> psalmus incipit in ·E·lami. ⁵⁸Alie vero dicuntur transformate quia terminantur in affinali predicta necessitate cogente quorum *evovae* incipiunt in ·D·solre. ⁵⁹Quinta regula est : omnis cantus incipiens in ·a·lamire et descendens in ·G·solreut et [·a·lamire,] transiens in ·c·solfaut, quarte differentie deputatur ut *Evovae Nisi diligenter*. ⁶⁰Item omnis cantus incipiens a ·c·solfaut et descendens in ·a·lamire, quinte differentie deputatur, ut *evovae Factus sum*. ⁶¹Omnis antiphona non habens predictarum regularum inceptions, principali *evovae* deputatur.

⁶²Quintus tonus habet unum principale *evovae* et unam differentiam, cuius regula est : omnis cantus quinti toni incipiens a ·c·solfaut, ut *Ponent domino*, vel incipiens in ·a·lamire, ut *Bissenos*, principali *evovae* deputatur.

⁶³Item omnis cantus incipiens a ·G·solreut, quod raro est tamen fit aliquando, vel in ·F·faut, ut *Omnes angeli eius*, quamcumque ascensum vel descensum habuerit, <...> differentie deputatur. Iubilus. *Quinque prudentes*. etc.

⁶⁴Sextus tonus habet unum principale *euouae* et unam differentiam et quinque inceptions in ·C·faut, ·D·solre, ·E·lami, ·F·faut, [·G·solreut,] ·a·lamire. ⁶⁵Cuius regula est talis : omnis cantus sexti toni ubicumque in his clavibus incipiat, et quancumque ascensum vel descensum habeat, principali *seculorum* deputatur, ut *seculorum Virginum*, ⁺*Gloria in medio aspiciebam*⁺, exceptis que incipiunt in ·F·faut et gradatim ascendunt in ·a·lamire, ut *Benedictus*. ⁶⁶Huius *seculorum* incipit in ·a·lamire, psalmus in ·F·faut sicut primi toni.

191v

⁶⁷Septimus tonus habet unum principale *seculorum* et quatuor differentias et totidem regulas | et totidem inceptions, s. in ·G·solreut, b·fabemi, ·c·solfaut, ·d·lasolre. ⁶⁸Omnis cantus septimi toni incipiens a ·G·solreut et ascendens in ·c·solfaut et subito transiliens per dyapente in ·d·lasolre, prime differentie deputatur, ut *seculorum Precursor*, *Scimus*. ⁶⁹Item omnis cantus incipiens a b·fabemi et ascendens per dyatesseron in ·e·lami, secunde differentie deputatur, ut *Stella ista*. ⁷⁰Item omnis cantus incipiens a ·d·lasolre et descendens in ·b·fabemi, repercuciens in ·d·lasolre, tercie differentie deputatur, ut *Tu es Petrus*. ⁷¹Item omnis cantus incipiens a b·fabemi et descendens in ·G·solreut et repercuciens in ·b·fabemi, quarte differentie deputatur, ut *Mirificavit*. ⁷²Sciendum est quoque quod alie multe antiphone huius toni possunt esse octavi toni, quia sub suo finali descendunt per dyatesseron secundum regulam plagalium. ⁷³Huius itaque toni *seculorum* incipit in ·d·lasolre et psalmus in b·fabemi. ⁷⁴Iubilus. *Septem sunt spiritus* etc. *Septimus quartum in medio respicit et in fine descendit*. Septimus ut *Ioseph*, etc.

192r

⁷⁵Octavus tonus habet unum principale *seculorum* et tres differentie et totidem regulas et sex inceptions, s. in ·F·faut, in ·D·solre, in ·F·faut, in ·G·solreut, in ·a·lamire et in ·c·solfaut. ⁷⁶Omnis autem cantus octavi toni incipiens in ·C·faut, ut *Sapientia*, vel ·D·solre, ut *Hierusalem*, vel in ·G·solreut, ut *Angelus autem domini*, sive fit ascensu sive etiam descensu, ut *Orietur*, principali *seculorum* deputatur, ut *Gaude et letare*. ⁷⁷Item omnis cantus incipiens in ·F·faut et gradatim ascendens in ·a·lamire, prime differentie deputatur, ut *Hoc est preceptum meum*. | ⁷⁸Item omnis cantus incipiens in ·c·solfaut et descendens in ·b·fabemi et per semitonium tercie differentie deputatur, ut *Veniet*. ⁷⁹*Seculorum* incipit in ·c·solfaut, forma vero et psalmus in ·G·solreut. ⁸⁰Iubilus. <Octo> *sunt beatudines*. Forma *Octavus* etc.

⁸¹Quidam vero addunt quartam differentiam cuius regula est talis : omnis cantus incipiens a ·c·solfaut et gradatim ascendens, ut *Nos qui vivimus*, psalmus incipit in ·a·lamire, vel incipiens a ·d·lasolre et per tonum descendens in ·F·faut, quarte differentie deputatur, ut *Martires domini*. ⁸²Et

hec habet specialem modum *seculorum* : ⁸³ incipit in ·G·solreut, psalmus in ·
a·lamire, Magnificat et Benedictus etc. +...+ et gaude etc.

Versus

⁸⁴ Ac tenor est primi quarti sextique tonorum

⁸⁵ Porro secundus ad ·F· oritur septimus a ·d·

⁸⁶ Tercius et quintus necnon octavus amant ·c·

3 sic *lect. inc.* || **5** retrardus *cod.* || **6** tocies] tocios *cod.* || **15** semitonium et tonum]
tonum et semitonium *cod.* || **17** octo] greco *cod.* || **19** hec est] hee sunt *cod.* || **35**
regulariter] regular *cod.* | Ffaut] cfaut *cod.* | platea] pla *cod.* || **37** toni] tonis *cod.* ||
39 Cfaut] effaut *cod.* || **40** Cfaut] ac faut *cod.* | gsolreut] cesolre *cod.* || **42** plateis]
pla *cod.* || **46** semiditonum] semitonium *cod.* || **47** est simile huic] in effaut fine
cod. || **57** dicte] dice *cod.* | **58** predicta] predicto (*lect. inc.*) pre dicta *cod.* |
incipiunt] incipit *cod.* || **72** octavi *lect. inc.*